

Programme

von

H. Carl Immanuel Thieme.

1779 - 1790.

AB

155635

0002

Youn. m. l. l. t. p. 1. 2.



DE
AMORE PATRIÆ JUVENVM ANIMIS
INSERENDO

PROLVSIO

QVA
AD PANEGYRIN SCHOLASTICAM
PACI GERMANIS RESTITVTÆ
DICATAM

A. D. XXI. JUN. MDCCCLXXIX. HOR. IX.

PATRIÆ, ECCLESIAE, CIVITATIS-
QVE PROCERES

NEC NON OMNES SCHOLÆ ET ARTIVM BONARVM
FAVTORES ATQVE AMICOS
OBSERVANTISSIME ET HVMANISSIME INVITAT
M. CAROLVS TRAVGOTT THIEME,
LYCEI LVBBENENSIS RECTOR.



LVBBENÆ,
EX OFFICINA DRIEMELIA.



DE AMORE PATRIÆ JUVENUM
ANIMIS INSERENDO.



§. I.

Queritur summo jure Vir cel. RESE-
WITZIUS a), institutionem juven-
tutis, quæ nostra ætate obtineat,
sanis firmisque principiis niti pla-
ne nullis, luxu potius et mollitie
puerorum tenerrimos animos languore quodam in-
fici omnemque mentis vigorem statim ab ineunte
A etate

a) Es giebt in der Erziehung keine allgemein wirk-
samen Principien mehr. Gedanken, Wünsche
und Vorschläge zur Verbesserung der öffentli-
chen Erziehung. Erster Band. Berl. 1778.



ætate perire. Cujus rei cum veritatem omnes vel
 mediocriter in hoc genere versati intelligant ne-
 cesse est, tum causam citra controversiam in com-
 muni isto luxuriante seculi nostri genio deprehen-
 dent. Quid enim? quod juvenes nostri inde a
 primo oculorum auriumque usu senes pubemque
 viros et sc̄eminas, patres et plebem, clericos et se-
 culares, dominos servosque maximam ad partem, in
 omni et sentiendi et agendi genere totaque vita
 non rationibus sed levibus subitisque cogitationi-
 bus savisque cupiditatibus agitari vident et audi-
 unt. Quantum vero inde negotii molestiæque iis
 nascatur, quibus mandatum est, huic nisi vehemen-
 tissimo resistere consuetudinesque, quæ velut trunci
 in terra limosa altas radices egerunt, quasi extirpa-
 re atque evellere, verumque contra ea sensum bo-
 ni et mali animis inferere: id nemo facile nec in-
 telligit nec credit, nisi ipse in re scholastica sit
 versatus, ita nimirum versatus, ut animorum etiam
 juveniliū, non aurium oris et manuum modo ra-
 tionem habuerit.



§. 2.

Quantumvis autem difficultatis et laboris res secum ferat, necessaria tamen est, nec ulla alia nobis datur via hominum ingenia formandi, nisi ut, discussis præjudicatarum opinionum a majoribus quasi hæreditate acceptarum tenebris, fracta consuetudinum vi atque oppressa cupiditatum tyrannide, in omnibus rationem firmam sequi, opiniones et actiones ad ea accommodare discant facultatemque id faciendi sibi paratam studiosa exercitatione confirment. In quo tamen cavendum est, ne pro istis rationibus sententias quasdam memoriæ mandatas crebroque recitatas accipiamus, quibus veluti flosculis hinc inde collectis sermones suos nostræ ætatis masculi et mulierculæ ornare solent: sed judicia esse debent cum sensu recto veroque conjuncta, immutabilia, animis quasi infixæ, ad quæ omnis deinde voluntas omnes actiones accommodentur. Ejusmodi principia tria præ ceteris enumerat celeberrimus RESEWITZ: eaque prorsus fere extincta in animis juventutis nostræ, abolita eorumque efficaciam, olim magnam, nunc exinanitam queritur. Amorem nimirum primum Dei, tum famæ s. existimationis



tionis, denique patriæ b): quorum extremum, salvo tamen pretio duobus prioribus statuendo, paulo uberius nunc considerabo, eumque erga patriam amorem tamquam egregium liberalioris educationis adminiculum commendabo.

§. 3.

Homo non sibi sed patriæ nascitur ut Plato scribit referente Cicerone c), quod utinam omnes et parentes et liberi et principes et cives animadverterent! Patria eum nutrit, alit, auget, promovet, ornat: A patria omnia, quibus fruimur, vitæ commoda accipimus: quamobrem hanc patriam amare ejusque salutem inservire non minus cum natura conjunctum quam honestum atque decorum est. Quod enim ad naturam attinet non solum tantum patrii omnibus incredibilis est præsentibus suavitas, absentibus desiderium, de quo Ovidius d):

Nescio,

b) Die Gottesfurcht, die Ehrliche, die Vaterlandsliebe. Am angeführten Orte.

c) de Fin. L. II. c. 45.

d) Ex Pont. I, 3, 35.



Nescio, qua natale solum dulcedine captos

Ducit et immemores non finit esse sui

sed civitatis etiam patriæ indelebili quodam amore
trahimur, ut etiam pro patria mori dulce duxerint
veteres e).

Cujus rei exemplis vetus historia abundat: Ci-
cero autem, qui in hoc genere *in De Officiis* §. iv interdum
videtur, inquit f): Cum omnia ratione animoque
lustraveris, omnium societatum nulla est gratior,
nulla carior, quam ea, quæ cum republica est uni-
cuique nostrum: cari sunt parentes, cari liberi, pro-
pinqui, familiares, sed omnes omnium caritates pa-
tria una complexa est. Sin autem remunerationem
accepti beneficii omnino honestam esse dicamus,
amor etiam in patriam honestus sit necesse est adeo-
que homine libero dignus, ut nullum incommo-
dum pro patria grave putet et, ut Cicero g) præ-
cipit, carior ei patria sit semet ipso.

A 3

S. 4

e) Hor. Carm III, 2, 13.

f) De Off. L. I. c. 57.

g) De Fin. III, 94.



§. 4.

Qui animorum erga patriam affectus quantam omnino utilitatem et civibus singulis et civitatibus universis præbeat, non est, quod pluribus demonstrarem. Quis enim prudens ignorat, universam reipublicæ salutem, quatenus eam homines curare valeant, in bonis bonorum consiliis atque voluntatibus niti? Aut cui, nisi patriæ amanti, ista suppetere potest animi magnitudo, fortitudo, æquabilitas, quæ ad vindicandam rempublicam, adeundas pro communibus commodis inimicitias, subeundas pro republica atque sustinendas tempestates requiritur? Eundem vero sensum in juvenum etiam animis esse excitandum, alendum, augendum, confirmandum, id vel eorum causa doceri debere videtur, qui vel eam ætatem excelsorum ejusmodi affectuum minus capacem esse putant, vel ipsi cura animorum gravantur, eo melius pulchriusque suo quemque muneri satisfecisse rati, quo majorem vocabulorum, phrasium, sententiarum copiam memoriæ discipuli sui intruferint.

§. 5.

Juvenes in scholarum disciplina tales fieri debere,



bere, quales aliquando a parentibus ac civitate expectantur, omnium in pædagogorum ac pædagogistorum ore est. Atqui: Etiam boni cives et scholis nostris expectantur, qui, quales sint, Cicero docet h), scilicet, qui patriæ beneficia meminerunt. — Ergo in amorem erga patriam imbui debent mentes teneræ, quæ, an possint eo capi, nemo dubitabit, qui eas esse humanæ naturæ, eas parentes, magistros, socios, ceterosque, a quibus beneficia accipiunt, amare noverit: an vero debeant; id multo minus in dubium esse vocandum videtur, nam a teneris assuescere multum est.

Et quicumque adolescens amoris erga patriam expertus manserit, is ægre adduci eo poterit vir, ut patriam civitatem amet i). Officium juventuti scholasticæ nostræ, nisi quod natura et ingenium docent, adhuc inusitatum. Mirum est, in scholis publicis

h) pro Plane. 80.

i) Verba Cel. RESEWITZII: Wer ohne patriotischen Geist aufgewachsen ist, wird als Mann sein Vaterland schwerlich lieb gewinnen lernen. Am angeführten Orte.



cis nostris, præsertim iis, quæ vetustatem redolent, etiamsi acuendis puerorum ingeniis satis bene prospectum sit, tamen formandorum morum, exercitiorumque, quæ huc spectant, nisi quæ præceptor sponte sua monere velit, multo minorem habitam esse rationem: forte olim hominum exempla meliora docuisse putaverim.

§. 6.

Præter eam vero, quam hæc instituendi ratio virili ætati pollicetur utilitatem, alia quoque non exigui momenti in ipsa vita adolescentum scholastica se exerit. Quis enim nescit, juvenes liberaliter imprimis educatos pane ab infantia existimationis studiosissimos esse, cujus studii vix equidem validius alimentum novi, quam spem: fore, ut aliquando non a propinquis nec ab amicis nec ab inferioribus modo, sed ab universa civitate quin a principe magni habeantur, quum ad facultatem de patria bene merendi rite paratam officiosa voluntas accederet: præsertim quum ex singulorum gentibus nomina meritis in patriam nobilia velut domestica ad imitandum exempla proponi possint. Sic itaque in juvenum er-

ga



ga patriam bene adfectorum animis, commonitis
præsertim atque hujuscemodi argumentis a præce-
ptore compulsis, ardens accendetur artium et litera-
rum studium, quo certius citiusque ad bene de pa-
tria promerendum, eaque officia præstanda idoneos
sele, reddant quibus non tantum, quod patriæ debe-
tur, id pie retribuunt, sed etiam civium existimatio-
nem et gratiam consequantur. Stimulus generoso
pectore profecto non indignus: Stimulis autem
opus esse, quis neget? Felices, qui hoc vel simili-
bus incitantur.

§. 17.

Egregiorum apud veteres populos, consiliorum,
dictorum et factorum unus fere fons, amor patriæ,
vel magis eos, quam pietas erga Deos, adstrinxisse
videtur: quum enim de præmiis et suppliciis post
mortem vel male et absurde sentirent, vel profus
nihil cognoscerent; Deorum timorem sapius im-
probitatem et malitiam coercuisse, quam probitatem
et virtutem promovisse intelligimus. Quare, si quam
inter viros profanæ vetustatis rerum gestarum excel-
lentiam, animi magnitudinem, in sustinendis malis

B

for-



fortitudinem constantiamque reperias, eam plerumque vel a parentum et propinquorum, vel a patriæ amore profectam esse videbis, qui posterior eo mihi purior esse videtur, quoniam quo remotior est a patriæ utilitatis studio. Nonne hæc erga patriam pietas fuit, qui Thrasybulum in patria oppressa a triginta tyrannis ex servitute in libertatem vindicanda adjuvit k)? Nonne eadem, quæ Cononi suavit, ut, unde præsidio posset esse civibus suis querere mallet, quam ubi ipse tuto viveret l)? Nonne eadem, quæ nobili Epaminondæ, — ut a Diomedonte sollicitatus orbis terrarum divitias pro patriæ caritate accipere nollet m)? Hic pius erga patriam affectus Horatios et Curiatios agitavit, ut pro sua quisque patria dimicarent ferro animamque devoverent. Hem! unicum mihi videor virum Horatium dicentem audire: *Duos fratrum manibus dedi; tertium*

causse

causse

causse

causse

causse

causse

causse

causse

causse

causse

causse

causse

causse

causse

causse

k) Nep. VIII, 1, 2. coll. Justin, V, 9. et Xenoph. hist. gr. L. II.

l) Nep. IX, 2, 1.

m) Nep. XV, 4, 2.



causse hujus belli, ut Romanus Albano imperet, do-
 bo n). Nihil præter patriæ amorem Camilli exulis
 animo tantum inducere temperantiâ potuit, ut in-
 grate civitatis desiderium sui magnifice expleret in-
 juria sibi illata oblitus o). Cato, cui, cum de jure
 et libertate patriæ ageretur, æneum erat pectus, us-
 que ad extremam ætatem ab adolescentia reipublicæ
 causa suscipere inimicitias non destitit p). Plura
 proferre possemus, sed modus adhibendus est, et
 hæc sufficient exempla ad vim amoris erga patriam
 in gignendis magnis gentium luminibus demonst-
 randam. Jam vero ejusdem hodie sumus farinae homi-
 nes, earundem virtutum, eorundem vitiorum capa-
 ces, quorum illi veteres. Omnia igitur moliendo,
 ut charitatis patriæ sensus juvenum nostrorum ani-
 mis infigatur, mirum sane quantum proficeremus:
 Et quis, amabo, locus huic rei aptior quam scholæ,
 quarum, ut nunc res se habent, unicum fere et pro-

B 2

prium

Verum hæc exempla inquit Valerius Maxi-
 mus (p) Sylia Maritæ et Cinnæ tandem hostis
 n) Liv. I, 25.
 o) Liv. V, 32. 44. 46. 49.

p) Ex mem. de Verba Nepotæ XXIV, 2





prium negotium est eorum, qui nobis hæc virtutis exempla scripta reliquerunt, auctorum lectio et interpretatio? Hinc transferamus vim pietatis erga patriam in mentes juventutis studiosæ, quæ in singulis certe, (nam fore ut universi sapiant, nemini facile sapientiæ doctore sperare licet.) eo se exeret, ut gloriâ et dignitatem patriæ, non rixando et potando, sed virtute, doctrina, fide sustinere æmuli contendant atque civibus morum immunditie factisque turpibus dedecori esse caueant. Quam quæso aliam ob causam legimus et prælegimus hos libros, hæc excellentium virorum vitas et res gestas? — Ut latine confabulari discant juvenes? — Hem! miserii juvenes, si præterea nihil vobis lucri propositum est, ut idcirco sex, octo vel plures consumatis annos; profecto magni emitis, quod obliviscamini!

§. 8.

Verum hæc exempla, inquit Valerius Maximus q) Sylla, Marius et Cinna tanquam stulta riserunt: — Credo: nec nunc deerunt, qui ride-

ant

q) Ex. mem. L. 4. c. 6. §. 4. v. 1. (9)



ant vel impendio civitatis suas fortunas augere magis et ardentius cupientes quam suo periculo civitatis salutem querere. Sic enim fert seculi nostri consuetudo et mos, ut quidam cives salutem reipublicæ, gloriam patriæ, leges, jura, commoda civitatis omnia perire æquo animo paterentur, dum ipsis aliquid exinde lucri suppeteret, vel nihil certe injuriæ acciperent. At bone Deus! qui homines! qui cives! qui Christiani! Nonne perniciosis ejusmodi consiliis omnia humanitatis vincula dissoluntur? omnis societatis ordo perturbatur? omnis religionis sanctitas violatur? Mihi quidem, nisi civitati universæ singulorum civium, singulis vicissim civibus universæ civitatis salus carissima sit, omnis omnino societas tolli videtur.

§. 9.

Jam vero, si vel omnes nobiscum consentiant, amorem patriæ, rem bonam et laudabilem, adeoque juventuti non tantum decori sed etiam usum non exiguo esse, gravissima tamen adhuc et principalis quæstio restat, quæ in eo versatur, ut, qua via et ratione juvenes eo adducantur, ut patriam, ut



civitatem ament, doceamus. Id quod eam ob cau-
sam paullo difficilius esse videtur, quod impuberes
nondum nisi per parentes vel per scholam cum ci-
vitate conjunctos se esse, nec, quod mihi dicere li-
ceat, ex manibus ipsius civitatis, sed vel parentum,
vel eorum, qui scholæ præsent, vel aliorum amico-
rum fautorumve omnia beneficia accipere se pu-
tant. Res profecto non levissimi operis est, præ-
sertim cum fines ingenii apud multos ab infantia
male institutos artificissimi sunt, juvenum animos in-
ducere, ut etiam patriæ et civitati, quæ, quid sit,
interdum ne animo quidem concipiunt, ea tribuant,
quæ solis parentibus, magistris vel aliis amicis tri-
buenda existimant.

§. 10.

Nec tamen hoc tanti est, ut animos juvenum
amori patriæ prorsus non patere existimemus. Qua-
tuor mihi videntur consilia esse ineunda, quorum
quidem alterum altero efficacius esse non diffite-
mur, præsertim in ista mirabili ingeniorum huma-
norum diversitate, sed tamen conjunctim adhibita,
qui his uti volet in institutionis opere, ejus expe-
cta-

Stationem haud frustratura esse confido. Primum, salvo grato: quem juvenes parentibus, magistris, ceterisque patronis debent, animo docendi sunt, omnes hos homines ipsos cives et quasi partes ejus patriæ s. civitatis esse, cujus afficiantur beneficiis: et Deum et patriam iis uti ad ipsos alendos, augendos, ornandos: omnium, quibus fruuntur, bonorum, vel pauca vel nullum contingere iis posse extra civitatem degentibus. Præmuniendi tamen simul animi sunt contra temerariam illam et arrogantem de nationis suæ præstantia persuasionem (*National-Stolz*) qua corrupti quidam eo plus honoris patriæ suæ habere opinantur, quo magis alias vituperent, quamquam ipsi sint ejus ingenii et fortis homines, ut ne minima quidem particula ejus gloriæ, quam patriæ suæ vindicare contendunt, in ipsos redundare possit.

§. II.

Quum autem multo fortius citiusque moveatur mens humana exemplis quam præceptis, quæcunque nobis exempla vetus et nova historia offert luculentissima, ea ita sunt adhibenda, ut exinde uti-



utilitas, quæ possit, maxima capiatur; magnitudo animi eorum, qui præ ceteris in patriam pietate eminuerunt, illustretur; tum, quid vere pretii his factis statuendum sit? — quid emolumenti res publica inde perceperit? — exponatur; deinde gloriam bonis illis civibus inde partam immortale virtutis præmium esse, non multis verborum ambagibus sed paucis at gravibus dictis ostendatur r); hanc denique laudem, quæ de patria bene meritis tribuatur, non virtuti bellicæ propriam esse, sed aditus ad eam cuivis vitæ generi patere, demonstratur. Quum præterea venustas et magnitudo, ut sensus feriant animosque moveant, haud nimis longinquæ debeant esse, recentissima et nostræ ætatis exempla, si qua sunt clariora, maxime in hoc genere

r) Ejusmodi laudis, quam commendo, exemplum præbet Valer. Max. qui, narrato fratrum Philænorum factis, omnem Pœnorum gloriam et bello et divitiis partam Scipionum virtute deletam esse, Philænorum memoriam ne patriæ quidem interitu extingui potuisse commemorat etc. *L. V. c. 6. §. 4. ext.*



re usus erunt, si ita juvenum animis proponantur, ut iis vel delectationem adferant vel admirationem moveant, quæ via ad imitationem rectissima est.

§. 12.

Nec minus quam præceptores, quos plerumque magis officio et consuetudine, quam animi affectu ductos de ejusmodi rebus loqui adolescentuli sibi persuadere solent, ipsius civitatis proceres ad amorem patriæ juvenum animis inferendum conferre poterunt. Cum enim, civitati scholas summæ esse curæ, ipsius etiam interesse, ut bonis artibus et moribus juvenes quam maxime proficiant, scholas tanquam totius reipublicæ seminaria magni æstimari etc. et oratione et quovis alio modo, juventuti scholasticæ declarant, incredibilem in animis juvenilibus patriæ civitatisque charitatem conciliabunt. Ponamus, hunc in finem examina publica in celebritate procerum haberi, specimina studiorum publice pro merito vel laudari vel reprehendi, statim temporibus judicia magistrorum de singulorum discipulorum diligentia et moribus senatibus exhiberi, secundum ea diligentes et modestos a civitate præ-

C

miis



miis affici et quæ alia hujusmodi adminicula sunt, ea prudenter accommodari: Hæc omnia adolescentibus perspicue comprobabunt, se a civitate tamquam partem ipsius amplam et honestam curari et amari: Et, qui amantur, redamant.

§. 13.

Quod denique omnium optimum et efficacissimum esse constat, id extremo ponam loco. Felicissime nimirum res procedet si eidem cum juventute nostræ in hac disciplina viæ insistimus, quæ omnino animi humani naturæ est accommodatissima. Ejus autem hæc est ratio ut a minori ad majus progrediamur: ut juvenes statim ab ineunte vita sociali id in parvis et levibus discant exerceantque quod aliquando in locis amplioribus et gravioribus præstare debent: ut eam, cui jam interfunt, societatem præ omnibus amare consuecant h. e. scholam, nam et hæc est civitas. Ad hanc accommodent, quæ audierint, præcepta, imitentur quæ cognoverint, exempla, ut quovis tempore et loco communia societatis commoda propriæ utilitati anteponeere libenter velint, utpote in quo totius



tius rei cardo vertitur. Quam quidem juvenum voluntatem exercendi ab iisque hujus pietatis dexteritatisque documenta exigendi prudenti curiosoque præceptorum vel educatori mille se offerent occasiones, quibus quomodo utendum sit, uberius docerem, nisi ad finem esset properandum, ne justum libelli modum transgrediar. Juvenes ita instructi tæque exercitati, cuicumque postea temporis societati admoveantur, eam ita colent atque amabunt, ut pro salute communi omnia et facienda et sustinenda esse existiment.



Cujus autem causa hæc præfaminis loco scripsimus, id ipsum nihil aliud est, nisi, ut juvenus Lubbenensis studiosa pietatem suam erga patriam declararet. Bello enim minaci citius, quam opinabamur, quæ Dei est gratia, composito et tranquillitate publica patriæ restituta cum omnibus bonis civibus nos quoque lætitia exultamus justa. Ut igitur consilia nostra primi sequamur et, quæ præcepimus, ea ipsi faciamus, civibus scholæ nostræ, quam voluptatem ex salute patriæ ceperunt, ejus publice decla-



randæ copiam non modo ultro dedimus sed etiam
 ipsi illis anteire atque in honorem pacis *De iis tran-*
quillitatis publicæ commodis, quæ in scholas redundant,
 pauca differere constituimus. Quo facto.

CAR. FRIED. ZVCHOLD,

LVBHENENSIS:

De gratulationibus publicis pie instituendis latine
 dicet.

JO. FRIED. NEVBER,

DRAHNSDORFIO - LVSATVS:

Veram animi fortitudinem vitæ civili non minus
quam militari utilem esse, sermone vernaculo docebit.

JO. CHRIST. MAVRIT. KLINGVTH,

LVBHENENSIS, et

JO. FRIED. WIESENER,

LEBVSA - SAXO:

De felicitate rei publicæ melius faciliusque artibus
civilibus quam bello paranda colloquium instituent lin-
 gua vernacula.

FRIED.



FRIED. DAN. FABRICIVS,

ALT-DOEBRA-LVSATVS:


*Felicitatem rei publicæ pacatæ carmine theodisco
canet.*

JO. FRIED. BLVETCHEN,

VETSCHA-LVSATVS:

*Laudes Serenissimi Saxonum Principis Electoris, Pa-
tris Patriæ, carmine latino celebrabit.*

His finitis Vir MAX. REV. BVRDACH,
Collega Aestumatissimus *Rationem docebit, qua Ro-
manorum supplicantium pietas a Christianorum pio pacis
beneficii vite æstimandi studio superari possit ac debeat.* —
Vos igitur MAECENATES, PATRONI, FAV-
TORES scholæ et artium, ut hunc cœtum pa-
triæ gratulabundum Vestra frequentia ornare eum-
que diem nobis reddere splendidiorem velitis, sub-
misse observanterque oro. Scripsi Lubbenæ, d.
XV. Jun. M DCC LXX IX.



FRIEDRICH BAUMHART
KUNST-UND-INDUSTRIEMUSEUM
ZUR VERGLEICHENDE FÜRSTEN KUNSTGESCHICHTE

IN FRIEDRICH BAUMHART

VERGLEICHENDE FÜRSTEN KUNSTGESCHICHTE

Verlag von Friedrich Vieweg und Sohn
Bibliographisches Institut Leipzig

LEIPZIG AM 15. DEZEMBER 1858

Druck von Friedrich Vieweg und Sohn
Bibliographisches Institut Leipzig

VON FRIEDRICH BAUMHART

LEIPZIG AM 15. DEZEMBER 1858

Druck von Friedrich Vieweg und Sohn
Bibliographisches Institut Leipzig

XXV. 1858



AB 155635


X 232/206


ULB Halle 3
005 301 335



56







DE
AMORE PATRIÆ JUVENVM ANIMIS
INSERENDO

P R O L V S I O

QVA
AD PANEGYRIN SCHOLASTICAM
PACI GERMANIS RESTITVTÆ
DICATAM

A. D. XXI. JVN. MDCCLXXIX. HOR. IX.

**PATRIÆ, ECCLESIAE, CIVITATIS-
QVE PROCERES**

NEC NON OMNES SCHOLÆ ET ARTIVM BONARVM
FAVTORES ATQVE AMICOS
OBSERVANTISSIME ET HVMANISSIME INVITAT
M. CAROLVS TRAVGOTT THIEME,
LYCEI LVBBENENSIS RECTOR.

—————

LVBBENÆ,
EX OFFICINA DRIEMELIA.

